

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput LXX. Continens Historiam Qvomodo Jesus Secunda Vice Venerit In  
Patriam Nazaretham. Matth. 13. v. 54. & Marc. 6. v. 1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT LXX.

CONTINENS HISTORIAM QVOMODO JESUS SE-  
CUNDA VICE VENERIT IN PATRIAM  
NAZARETHAM.

Matth. 13. v. 54. &amp; Marc. 6. v. 1.

## RATIO ORDINIS.

**M**atthæus à descriptione præcedentium historiarum mox accedit ad narrandum, quomodo Dominus circuivit in civitatibus & vicis docens, posteaque mittens Apostolos cum mandatis. Et consentit Lucas, qui post resuscitatem filiam Jairi, mox ipse quoque cap. 9. v. 1. recenset, quomodo Dominus Apostolos convocatos emiserit. Nec refragatur Marcus, qui ipse quoque non multo post historiam Jairi, ista de emissione Apostolorum describit, ut dubitari non possit, quin Dominus mox post resuscitatem filiolam Archisynagogi circuivit, docens & emittens Apostolos: quod est initium tertii anni Ministerii Christi, uti cap. 4. Prolegomenon demonstratum est. Sed dispiciendum est, anne extet aliquid in Evangelistis, quod ante istam peregrinationem, & emissionem Apostolorum sit inferendum. Et quidem apud Matthæum nihil extat, præter superiores illas historias, quam jam tractavimus. Apud Lucam item nihil. Restat ergo Marcus, qui cap. 6. v. 1. Præmittit historiam, quomodo Dominus venerit in patriam Nazaretham, & ordinem consecutionis manifesta notatione temporis ostendit, indicans, eum Domini adventum in patriam accidisset, cum Dominus resuscitasset filiam Archisynagogi. Sic tamen ordinem istum notat, ut facile appareat, cum voluisse subinnuere, intermedio tempore evenisse ea, quæ de duobus coecis & dæmoniaco narravit Matthæus, cap. 9. quæ inseri ante adventum

istum Domini possint. Ait enim Dominum inde (nimirum Capernaumo, ubi Archisynagogi filiam resuscitarat, cœcos item & dæmoniacum multum sanarat) *egressum venisse in patriam*. Matthæus ipse quoque cap. 13. v. 54. hunc adventum Domini in patriam describit, sed sic, ut ex ipso non possit intelligi, quo tempore acciderit. Narrat enim, eum demum post complura, de quibus in superioribus capitibus diximus, & narrat sine certa notatione ordinis. Neque tamen Marco contradicit, ubi ait Dominum abiisse & venisse in patriam, cum finiisset illas varias parabolæ, quas descriperat cap. 13. Consentit enim Marcus post istas parabolæ accidisse quidem adventum illum Domini in patriam, sed interjectis hisce omnibus, transfiguratione in terram Genezareth, expulsione dæmonum in porcos, & resuscitatione filiolæ Jairi, quæ Matthæus ipse quoque supra multo ante per anticipationem commemoraverat. Itaque c. 13. post descriptas illas parabolæ, proxime ante narrationem de adventu illo Domini in patriam, prætermisit. Utjam dubitari non possit, quin iste sit verus *εἰμὸς αὐτοῦ θεός*, & quod hic Matthæus natum ordinem historiarum non servarit. Lucas de hoc creditu Christi in patriam nihil habet. Quod enim cap. 4. v. 16. describit, idque Augustinus & alii putarunt esse idem cum eo, quod recitat Matthæus cap. 13. ostensum est cap. 34. Harmonia illam non esse unam & eandem historiam.

HISTORIA REDITUS CHRISTI NAZA-  
RETHAM.

MATTH. 13.

54. καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, ἐδιδασκεν αὐτὸς ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, ὃς ἐν τῷ πληθερῷ αὐτὸς, καὶ λέγειν ποθεντά ἡ σύνθισις αὐτοῦ καὶ αἱ δυνάμεις;
55. ἦχε δὲ τότε ὁ ἄγιος πνεῦμα ἀπὸ τοῦ μήτηρος αὐτοῦ λέγενται Μαριάμ, καὶ αὐτὴν φοι αὐτοῖς λαμβάνει. καὶ οὐδενὸς καὶ Σίμων καὶ Ἰάδας;
56. καὶ αὐτὴν φοι αὐτοῖς καὶ πᾶσιν τοὺς ημᾶς εἰς γῆθεν γνητάτῳ ταῦτα πάντα;
57. καὶ ἐσκαρδαλίζοντο ἐν αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς ὅτι εστι τοῦ Θεοῦ ἀλλα τοῦ, εἰ μη ἐν τῷ πατρὶδι αὐτῷ καὶ ἐν τῷ οἰκίᾳ αὐτοῦ.
58. καὶ τοῦ ἐπιήσει ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς, οἵτινες αποτίαν αὐτῶν.

54. Et cum venisset in Patriam suam, docebat eos in synago-  
ga illorum, ita ut stuparent, ac dicerent, Unde haec  
sapientia hac virtutes?

55. Nonne hic est ille fabri filius? Nonne mater eius voca-  
tur Maria, fratres eius Jacobus & Ioseph, & Simon  
& Judas?

56. Et sorores illius nonne omnes apud nos sum? Unde igitur  
igitur huic hac omnia?

57. Et offendebantur super eo. Jesus autem dixit illis.  
Non est Propeta expers honoris nisi in patria sua &  
domo sua.

58. Et non edidit illic virtutes multas propter incredulitatem illorum.

MARC. 6.

MARC. 6.

1. Καὶ ἐγένετο ἡ ἡλιθεν εἰς τὸν πατριόδα αὐτῷ, καὶ ἀκολούθεσσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.  
 2. Καὶ γνόμενος σπεύσας, πρεσβάτος εἰς τὴν συναγωγὴν διδάσκειν, καὶ πολλοὶ ἀκούσαντες ἔξετάζοντο, λέγοντες, ποθεντά πάτερ; καὶ τις ἡ σοφία ηδούσαντος, ὥσπερ διάδοχος τοῦ Χριστοῦ,  
 αὐτῷ γένοτο;  
 3. Οὐχίς δὲν ὁ τελεῖον, οὐδὲ Μαρκός, ἀδελφὸς Ἰακώβου  
 καὶ Ιάσονος καὶ Σίμωνος, καὶ τοις εἰσιν αἱ ἀδελφαὶ Φαΐ  
 αὐτοῦ ἀδεταξημέναις καὶ επικαταλιθοῦσαι αὐτοῦ.  
 4. Ἐλεγεντὸς αὐτοῖς ὁ Ἰησος, ὅτι δικῆστε τοὺς φόντους αὐτοῦ,  
 εἰπεντο τῇ πατριόδα αὐτῷ, καὶ τοῖς συγχρεόντος, καὶ τοῖς  
 τῇ αἵρειᾳ αὐτῷ.  
 5. Καὶ τὸν διάδοχον εἶπεν εὐδεμίαν διωνάμενον ποιῆσαι, εἰ μηδὲν  
 γοις αρρώστιος ἀποθετεῖ τας χεῖρας, εἴθεργενευσε.  
 6. Καὶ ἤρθη μαρτυρῶντας τὸν αὐτοῖς αὐτῶν.

1. Et egressus est illinc, venitus in patriam suam, et sequuntur eum discipuli sui.
2. Cumque adcesset sabbatum, ceperit in synagoga docere multos, audientes obstupuerant, dicentes. Unde huic hec? Et quae est sapientia, que data est illi? Et virtutes tales per manus ejus efficiuntur?
3. Nonne hic est faber ille, filius Marie, frater vero Jacobi & Iose & Iude & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et offendebantur per eum.
4. Dicebat autem illis Iesu: Non est Propheta contemptus, nisi in patria sua inter cognatos & in familia sua.
5. Et non poterat ibi virtutem ullam edere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanavit.
6. Admirabatur propter incredulitatem eorum.

HARMONIA HUJUS HISTORIÆ, DE REDITU CHRISTI IN SUAM  
PATRIAM, EX DESCRIPTIONIBUS MATTH. 13. ET  
MARC. 6. IN UNUM CORPUS  
COAGMENTATA.

οὐ καὶ ἡλιθεν εἶκαντο, οὐ καὶ θεν εἰς τὸν πατριόδα αὐτῷ οὐδὲ  
 ακολούθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, αὐτὸς ἐλθὼν εἰς τὸν πα-  
 τριόδα αὐτῷ, οὐ γνόμενος σπεύσας τὸν διδά-  
 σκειν αὐτοῖς, εἰπεντο τὴν συναγωγὴν αὐτὸν, οὐ καὶ πολλοὶ  
 ἀκούοντες εἰς τὴν συναγωγὴν, λεγοντες, ποθεντά πάτερ; α  
 καὶ σοφία αὐτη οὐτοὶ εἰς δυνάμεις; οὐ καὶ τις ἡ σοφία ηδούσα  
 αὐτῷ, οὐ καὶ δυνάμεις τοιούτη μέσος τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ γί-  
 νονται; Εἰπεντο δὲν ὁ τελεῖον, αὐτὸς τοῦ Ιακώβου γος; οὐ διός  
 Μαρκός; ἀδελφὸς Ἰακώβου Ιάσονος καὶ Σίμωνος;  
 αὐτὸς ιησος αὐτὸς λέγει Μαρκόν, καὶ ἀδελφοί αὐτοῦ Ιά-  
 κωβος καὶ Ιάσων, καὶ Σίμωνος, καὶ Ιωάννης; οὐδὲν οὐτοίς  
 αἴπειν τὸν πάτερ τοῦ Χριστοῦ, εἴθεργενευσε. Καὶ τοῦ  
 αὐτοῦ οὐτοῖς εἶκαν διωνάμεις πολλας, οὐδὲ τοῦ αὐτοῖς αὐ-  
 τῶν, οὐ γένεται μαρτυρῶντας τὸν αὐτοῖς αὐτῶν.

b Et egressus est illinc, venitus in patriam suam, et se-  
 quuntur eum discipuli sui. a Et cum venisset in patriam  
 suam, b cumque adcesset sabbatum, c ceperit docere a eos c  
 in synagoga a illorum, multiq; audientes obstupuerant, di-  
 centes, unde huic b hec? a Sapientia hec & virtutes? b  
 Et quae est sapientia, que data est illi? Et virtutes tales  
 per manus ejus efficiuntur? c Nonne hic est b faber  
 ille, a fabri filius? b filius Marie, frater vero Jacobi &  
 Iose, & Iude & Simonis? a Nonne mater ejus vocatur  
 Maria, & frater ejus Jacobus, & Ioses, & Simon, &  
 Iudas? c Et sorores illius nomine omnes b hic apud nos  
 sunt? a unde igitur huic hec a omnia? Et offendebantur  
 super eo. Iesu autem dixit illis: Non est Propheta  
 expers honoris, nisi in patria sua, b & inter cognatos c &  
 in domo sua. b Et non poterat ibi virtutem ullam edere,  
 nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanavit. a Et  
 non edidit illuc virtutes multas, propter incredulitatem  
 ipsorum, b ac minabatur propter incredulitatem eorum.

Periodica hujus Historiae.

Secundum annum ministerii sui exorsus est Servator noster Iesu Christus publica prædicatione Evangelii in Synagogis Galilææ, & maxime guidem in Synagoga Nazarethana, sicuti superius audivimus in 34. cap. Harm. hujus Evangelicæ. Eudem hunc annum nunc concludit reditu ad suos Sympatriotas Nazarethanos. Nam Capernaumo discedens, siquidem ibi ob invidiam Scribarum non licebat tuto diu hærere, venit in patriam suam; quæ nulla alia fuit, quam Nazareth, in qua conceptus & educatus est, redditurus illi regnum. Comites ipsius fuerunt discipuli, potissimum Apostoli, qui individui ipsius lateri adhærebat. Unde patet, ipsum dimissa sub noctem, turba, summo mane Capernaumo discessisse, antequam turba rursus ad ædes ipsius confluere. In patria, pro more suo, Sabbath ingressus est Synagogam, ut ibi doceret. Quia enim tum temporis, par-

tim ex divino mandato, partim boni ordinis er-  
 go, certa tempora & loca in Republica Israelitica  
 constituta fuerant, quibus & Deo suus cultus præ-  
 stabantur, & doctrina legalis atque Prophetica po-  
 pulo proponebatur. Christus a tempore quoque  
 ordine & non confusione delectabatur, usitatum  
 illum & constitutum ordinem nequaquam sibi  
 negligendum esse judicavit. De quo ipso ordi-  
 ne prædicto capite fusius tractatum est. Admo-  
 net autem nos Christus suo reditu in patriam pie-  
 tatis, quam singuli patriæ debemus. Huic enim,  
 quia progenitoribus nostris hospitium præbuit,  
 priusquam nos in mundum nati essemus, quia etiam  
 nos in mundum venientes prima excepimus,  
 quia nos aluit, texit, & fortassis etiam aliis benefi-  
 ciis affecit, ita obstricti sumus, ut post Deum &  
 parentes meritò ipsi maximam gratiam repende-  
 re, & omnes concives fratrum instar arctissima be-  
 neficia.

S. 3. neve-

Harm. Tom. I.



nevolentia prosequi debeamus. Sic Moses, fratres suos Iudeos delitiis & opibus aulicis præferre voluit, Exod. 2.v.11. Heb. 11.v.24. Et Paulus, licet gentium Doctor constitutus, patria tamen & fratum gratia in maxima versabatur solicitudine, eorumque salutem Deo suo ardentissimis precibus commendavit, Röm. 9.v.3. Sed quid opus est horum Exempla allegare? cum gentium historiae testentur: optimum quemque inter ipsos patriæ fuisse amantissimum. Deinde eodem reditu nobis exemplum proponit, sui studii, quod impendit in promovenda salute humani generis. Obtulit suis sympathetis suum Evangelium, & per illud Dei gratiam atque æternam salutem, sub initium hujus anni; ied pessime ab ipsis fuit exceptus & tractatus. Nam ipsum ad superciliū montis, super quem civitas ædificata erat, adductum, inde præcipitare voluerunt. Optimo itaque jure ipsos in posterum negligere, & ut in malitia sua perirent dimittere potuissent. Verum quia est ille Deus, qui apud Prophetam tota die expandit manus suas ad populum incredulum, Esa. 65.v.3. & fidelis ille cultor vineæ, qui pro sterili siccus apud Dominum vineæ intercedit, ne eam excindat, & diligenter culturam promittit, si forsitan fructum ferre velit, Luc. 13.v.6. Indefessus denique ille paterfamilias, qui à summo mane ad ultimam horam usque exit, & operarios in spiritualem suam vineam querit. Ideo ab hac sua fide & diligentia non patitur se dimoveri, hominum nec malitia nec ingratitudine. Non enim spectat, quid homines mereantur, sed quid sui sit officii, quo ubivis locorum & semper se vere mundi Servatorem esse ostendat. Quod si vero aliqui hanc tantam ipsius curam & solicitudinem pertinaci sua improbitate neglexerint & contempserint, perditionis sua causam non Christo, sed sibi adscribere debent, Hos. 13.v.9. Ipse vero eis in die illo magno occinet: Quoties Ego volui vos congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluitis? Matth. 23.v.47.

Cæterum ut in Christi facto habemus illustre documentum bonitatis divinæ inenarrandæ, pro salute humani generis sollicite excubantis: ita vicissim in Nazarethanis exemplum proponitur humanæ corruptionis & obstinatae pravitatis, quæ ne quidem tot divinæ clementiæ argumentis expugnari, & ad suscipiendum hanc Dei sui gratiam permoveri potest. Nam de Nazarethanis testantur Evangelistæ, quod ita perculsi fuerint, ut ad concionem ejus obstatuerent. Εκτλητούς Varino idem est, quod θαυμάζω, admiror. Sed proprietas vocabuli non vulgarem aliquam admirationem significat, verum talem, quæ cum stupore est conjuncta. Nam ἔκτλητος medicis est mentis alienatio, quæ ex repentina aliqua re fornicatus objecta provenit, ubi animus quasi attonitus, nec loquitur, nec quicquam agit, sed apertis oculis aliquantis per quietus manet, veluti nimia rerum objectarum consideratione oppressus, donec sensim se recolligat. Indicare ergo volunt Evangelistæ hoc verbo, Christum tanta severitate & gravitate docuisse, ut sympathetica nec docendi methodum, nec sententiarum pondera, nec rerum gravitatem satis mirari potuerint. Et enim hic erat Doctor ille, in cuius labiis diffusa

erat gratia, Psalm. 45.v.3. & qui non tantum inani verborum fono auditorum aures seriebat, sed divina virtute animos ipsos penetrabat, Matth. 7. vers. 29. Dubium itaque non est, Nazarethanis intra conscientiam suam convictos fuisse, doctrinam hujus Jesu plane esse cœlestem & salvificam. Et hoc ipsum sufficere poterat ad ipsorum conversionem. Hic enim is, qui habet clavem vitæ æternæ, adstitit ad ostium cordis ipsorum, & pulsavit. Si jam ipsi audiissent vocem ipsius, & januam pectoris aperuissent, intrasset ad illos, & ad cœlestem cœnam eos adduxisset, Apoc. 3.v.10. Sed attende, quomodo humanum cor ex innata quadam pravitate, quasi obicem ponat & peccatum obiciat, quo regi gratiæ & gloriæ adventanti forces obstruat ne ingrediatur, neve animum occupet & cor convertat. Christus certe hic ministerio sui verbijam secunda vice animos eorum tentat, ut mentem & voluntatem ipsorum permeat, & ad obsequium Dei adducat. Præveniendo illos sua gratia, & per Spiritum sanctum ministerio verbi in ipsis operatur, hoc unicum quaerens, ut convertantur ad fidem & salventur. Et jam in cordibus ipsorum exurgunt λογισμοί, ut eos Paulus nunc upat, Rom. 2.v.15. Nam ipsorum conscientia intra cor eos convincit, ut testimonium ipsi perhibere cogant sapientia & virtus plusquam humana. Ideo dicunt: *Quæ hac est sapientia, quæ in ipsius doctrina eluet?* *Et que hoc est virtus Dei,* quæ per ipsius miracula se exerit? Illæ igitur variationes sermonis apud Evangelistas, dum unus dicit: *Unde huic hac?* Alter: *Unde hac sapientia & virtutes?* Tertius: *Quæ si sapientia, quæ data est illi?* Rursus alius: *Unde tales virtutes, quæ per manus ejus efficiuntur?* indicio sunt, universam turbam in Synagoga in admirationem raptam εὐεργέται ipsius doctrinæ & operum, nec potuisse illius vim & efficacitatem negare. Iccirco quoad Deum hic nihil obstarat, quo minus ad fidem adducantur & vere convertantur. Sed manifestum est ex hoc exemplo, quomodo depravata hominis ratio aliunde accerfat obstacula simul & praetextus, quo minus verbum oblatum acceptare cogatur. Dicunt enim, *An non hic est faber?* *An non hic est fabri Josephi filius?* *An non Maria est ejus mater?* *Annon fratres ejus sunt Jacobus, Ioseph, Judas, Simon?* *An non sorores ejus omnes sunt apud nos?* Et hoc de causa scandalizabantur super eo. Σκάνδαλον vel offendiculum, dicitur omne id, quod iter scientibus objicitur, ad quod impingentes cadunt, vel saltēt impingendi occasionem inveniunt. Dicitur à οὐαλώ, quod claudicare significat, quia obiectum offendiculum cogit claudicare & ad ruinam tendere. Quidam etiam Grammatici dicunt οὐαλώ εsse lignum incurvum, quo decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam tendiculam in sesubita ruina evertit. Sic revera Nazarethanis conversatio Christi in juventute sua facta est petra scandali, 1 Pet. 2.v.7. ut immorigeri postea offendenter ad sermonem ipsius. At vero hoc ipsum non fuit scandalum ipsis à Christo datum, sed ab ipsis acceptum. Quid enim hoc ipsos offendere poterat, quod Jesus in juventute, ob parentum inopiam præceptoribus destitutus, a quibus informari poterat, tamen adulitus doctrina ad admirationem usque pollet, atque eandem miraculosis operibus confir-

confirmat? Novumne hoc erat in populo Dei? Unde Moli omnium Prophetarum coryphæo, qui annos quadraginta in exilio vagatus est, sua, qua polluit, legis cognitio, & stupenda, que edidit, miracula? Unde quoque David, qui in juventute sua oves pasciebat, suam habuit, non tam belligerandi & regendi, quam Prophetandi & psallendi pertiam? Oblitine erant ejus, quod Elisæus ab aratro, 3. Reg. 19. vers. 19. & Amos ex pastorum confortio in chorum Prophetarum fuerunt adorati? Sed hi sunt perantiqui mundi mores, quod ejusmodi prætextus ipse sibi querit, quos obtendat, ne verbo prædicato credat. Sic adhuc hodie hujus seculi filii semper inveniunt, quod in ministris carpant. Uni generis obscuritatem & paupertatem objiciunt? alterius cognationem paulò illustriorem suspectam habent. Unius eruditonem præclaram carpunt: alterius simplicitatem & inscitiam rident. Si quis eloquentia valet, minus ipsi fidendum censem: alium, qui hoc dono destitutus est, ludibrio habent. Sic mundus ipse sibi temper necit laqueos perditionis. Nec Deus, quacunque sane fide & diligentia salutem hominum querat, sic media salutis ordinare potest, ut non improbi homines ius ad suam perniciem abutantur. Hoc observare debebant infelices illi liberi arbitrii & *οὐεργέτες*, patroni, ut inde agnoscerent, quid homo ex propriis suis viribus conferre possit ad sui conversionem & salutem. Nimirum usque adeo nihil boni, ut etiam bonis mediis à DEO oblati abutatur, & ex illis sibi ipsi obicem & scandalum ponat, per quæ in via salutis impingat & sibi ipsi ruinam paret.

Ex hac autem historia letiam obiter colligi potest, quæ fuerit Christi educatio in juventute, & quæ privata ipsius vita ante irchoationem ministerii: qualis item ipsius cognatio, partim Nazarethi, partim in vicinia habitans. Quod vitam privatam attinet, manifestum hinc est, eam ad 30. usque aetatis annum, nullis miraculis claram fuisse, ut ut otiosi Monachi sub Papatu multa de miraculis Iesu in juventute editis nugati sint. Alias enim Nazarethani nequamquam tanta admiracione ipsius virtutes spectassent. Interim tamen nec ignavo otio torpuit, sed patri suo Josepho fabro lignario ab ineunte ætate subditus, Luc. 2. vers. 51. eandem cum ipso artem exercuit. Ideo dicunt: *Nonne hic est faber ille?* *τέκτων* quidem Hesychio & Suidæ significat quemlibet artificem seu opificem, tam eum qui ligna operi aptare novit, quam eum, qui lapides, denique quicunque, aliquid fabricatur. Ex Plutarcho tamen in Pericle, ex Herodoto, ex Xenoph. idem Pæd. 3. & 5. denique ex Hom. Iliad. 2. & Od. 1. patet, *τέκτων* propriæ notare fabrum lignarium, seu materialium. Ut ipsis *τέκτων* sit *τέκτων*, *οἰκονῶν καὶ κατεργάσιμων τοῦ οὐλων*. Atque hoc modo hunc locum intellexerunt veteres. Justinus Martyr, Scriptor vetustissimus, in Dialogo cum Tryphonie contra Judæos testatur, Christum juga & aratra fabricavisse. D. Basilius autem autem lib. de vita solit. cap. 5. statuit, eum assiduo corporalium laborum exercitio victum sibi necessariam unam parentibus pauperibus comparasse. Eodem sensu pædagogus Antiochenus cum à Libanio So-

phista per irmissionem interrogaretur: Quid facret fabri filius? propheticō spiritu induitus respondit, concinnat sandapilam pro Imperatore tuo. Cujus responsi veritatem eventus intra paucos dies comprobavit. Theod. l. 3. l. 5. v. 1. Dubium ergo est nullum, Christum in juventute sua fabrem artem exercuisse, atque opere manuário sibi ac matri victimum honeste quæsivisse. Sic suo exemplo docens omnes homines, potissimum juniores, ipsos otium, tanquam Diaboli pulvinar, fugere debere. Dei enim voluntas est, ut jam post lapsum in ludore vultus nostri panem nostrum edamus, Genes. 3. v. 17. & David beatos pronunciat, qui labores manuum manducant, Psalm. 128. v. 2. Ideo etiam Apostoli, antequam ad divinum Apostolatus munus vocarentur, labore suo vicitur, Matth. 4. v. 18. Imo Paulus, jam Apostolus factus, se penumero manuum suarum ministerio se sustentavit, ne Ecclesiis oneri esset, Act. 20. v. 34. Ipse enim passim in nomine Domini denunciavit, quod si quis nolit operari, ut nec manducet, Thess. 3. v. 10. Tales quoque ignavos fucos furum loco habuit, Eph. 4. v. 28. quibus precipit, ut non amplius furentur, sed magis laborent operando manibus suis, ut habeant, unde tribuant necessitatem patienti. Neminem itaque pudeat, ad exemplum filii Dei, totius mundi fabricatoris, honestam aliquam artem addiscere, qua sibi suisque victimum paret. Plerique otium appetunt, & in eo magnam felicitatis partem collocant: sed tandem magno suo suorumque malo experiuntur, se graverter errasse.

Quod cognitionem Christi attinet, certum est, Christum esse ex patribus secundum carnem. Rom. 9. v. 5. ac proinde inter progenitores suos habuisse Patriarchas sanctissimos, Reges potentissimos & duces clarissimos: sicuti Matthæus c. 1. & Luc. cap. 3. in Genealogia ipsius prolixè demonstrant. Sed quemadmodum alias in rebus humanis nihil est perenne vel stabile, sed omnia sunt caduca: ita etiam familiarium sunt certa initia & incrementa, quæ si ad *ἀρχὴν* pervenerint, sensim rursus decrescent, donec penitus interrant. Idem accedit regiae familiae Davidis: quæ olim quidem clarissima & honoratissima, sed post captivitatem Babylonicam odio diaboli tantas persecutions & oppressiones sustinuit, ut circa tempora Herodis proptermodum ad nihilum redacta fuerit. Hinc factum est, ut intemerata virgo Maria, Deipara, fabro lignario Josepho, in ignobili oppido Nazareth manuarium suum opificium exercenti, despontata fuerit. Et hoc est, quod Esaias prædictus cap. 11. v. 11. foreculum illum benedictum, tum ex radice Isai exoriturum, quando arbor cognitionis ad stipitem usque exaruisse videbitur. Cæterum, quod Nazarethani de cognitione Jesu loquentes, dicunt; *Nonne Jacobus & Ioseph, & Simon, & Judas, fratres ejus?* illud variis disputationibus occasione præbuit. Helvidius haereticus, partim ex hoc, partim ex aliis locis, oppugnat perpetuam Mariæ virginitatem, & statuit eam post Christum natum fuisse viro commixtam, atque sic plures ipsius tam fratres, quam sorores peperisse, unde & ejus sectatores Antidicomariæ dicti sunt: sicuti Aug. refert haeres. 56. & 48. sed hæc hæresis tum ab Epiph. Epipo

Scopo Cyprii in Oriente, tum ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi, & Hieronymo Stridonensi, presbytero Romano in Occidente, repressa conticuit, & cum primis illud pugnat cum probatis historis Egesippi & Eusebii, si quis putet Jacobum, Iosem, & reliquos esse ex Maria genitos post Christum, cum ipsorum testimonio *Simeon*, qui hic inter postremos numeratur, undecim annis Christo major natu affirmetur. Epiphanius ut huic loco satisfaciat, censet Josephum octogenarium fuisse, cum Mariam sibi desponderet, & prius ex alia conjugi plures liberos suscepisse, qui fratres & sorores Christi dici potuerint. Sed & hoc caret testimonio probatorum authorum. Sub Papatu, in quo pro virginitate Mariæ, quoniam ipsi quoque statuimus, tanquam pro aris & focis pugnarunt, aliam quandam excogitarunt rationem, ostendendi, quinam fratres & sorores Domini essent. Vulgata enim tunc erat opinio, Annam matrem Mariæ virginis tres habuisse maritos, Joachimum, Cleopham & Salomen (quod tamen non viri sed mulieris nomen est) & ex his genuisse totidem filias, Marias. Primam nupsisse Josepho, alteram Alphæo, tertiam Zebedæo. Atque hinc Christi fratres dici eos, qui ex his progeniti fuerunt, fundamenti loco habuerunt impietum hoc, unde & indoctum carmen:

*Anna solet dici tres conceperisse Marias:  
Quas genuere viri, Joachim, Cleophas, Salome,  
Has duxerunt viri: Ioseph, Alpheus, Zebedeus.  
Prima parit Christum, Jacobum; secunda minorem.  
Et Ioseph iustum peperit, cum Simeone Judam,  
Tertia maiorem Jacobum volucremq. Joannem.*

Contra hanc vulgatam opinionem eruditè & prolixè disputat Jacobus Faber Stapulensis, in suo tractatu de una Maria ex tribus. Ubi demonstrat, Annam matrem virginis Mariæ non habuisse tres maritos, sed unicum Joachimum. Consimiliter Mariam virginem nullas habuisse sorores, neque germanas neque uterinas. Insuper pernegat, nec ex Evangelica historia communistrari posse contendit, quod Jacobus & Johannes filii Zebedæi ex Salome Christum sanguinis propinquitate attingant. Quod autem Maria Cleophae Joh. 19. v. 25. dicitur soror matris Iesu, illud non factum esse eo sensu, quasi haec Maria etiam fuerit filia Annæ, sed ea consuetudine, qua fratrum uxores se mutuo sorores vocant. Nam ex Egesippo, prout eum Eusebius citat libr. Ecclesiast. 3. cap. 10. patet, Cleopham fuisse fratrem Josephi, cui Maria virgo Deipara fuit desparsata. Cum ergo Maria semper virgo, & Maria Cleopha fratum uxores fuerint, recte dicuntur sorores. Et rursus, quia haec Maria suo Cleophae peperit Jacobum, Iosèn, Judam & Simonem, ob hanc cognationis affinitatem, tanquam consobrini & duarum sororum filii, fratres Iesu dicuntur. Jacobus, qui hic primo loco nominatur, à Christo ad Apostolatus dignitatem vocatus est, Matt. 10. v. 3. & Luc. 6. v. 15. Is. ut testatur Egesippus & Eusebius, primus fuit Episcopus Hierosolymitanus. Quem fratrem Domini se Hierosolymitanus vidisse testatur Paulus ad Galat. 1. vers. 19. Nec dubium est, quin propterea Actor. 15. vers. 13. huic

Jacobo præ reliquis in Concilio Apostolorum præcipuum votum, de agitata controversia suam sententiam interponendi, concessum fuerit, quia tum ipsi Ἰωάννης illius Ecclesiæ commissa fuerat. Quod verò idem hic Jacobus Marc. 15. vers. 40. dicitur *Jacobus minor*, illud non intelligendum, est ratione aetas vel annorum, quasi reliquis fratribus junior fuerit: sed ratione corporis. Nam in Græco est vocabulum μικρός. Cum enim duo Jacobi, unus filius Zebedæi, alter filius Cleophae, essent in convictu Christi inter Apostolos adsciti, prior autem ille corpore procerior, hic brevior: ideo ad differentiam ex habitudine corporis, ille major, hic verò parvus vel minor dicebatur. *Iosè* hic solus ex his quatuor fratribus in numerum Apostolorum à Christo non est receptus. Quod ut consideratione dignum est: ita ejus rationem nemo nobis perscrutabitur. Equidem, quod Christus ex consobrini adscivit sibi Apostolos, qui Evangelium de se una cum aliis in toto terrarum orbe ad salutem credentium prædicarent, eo ipso docuit, per se non esse impium, nec Deo adversum, si quis cognitorum habeat rationem, eosque promoveat ad officia honesta, modo ad ea peragenda sint idonei. Rursum, si quis negligatur, non desponeat animum, nec propterea le al Deo rejectum existimet. Posse enim alia causæ esse, justæ quidem, sed occultæ, ob quas interdum alicui promotio contingere nequeat. Sicut nec hic Iosè ad eò impius & dignitate Apostolica indignus fuit. Nam Actor. 1. vers. 23. dicitur, quod Josephum, qui vocabatur Barabas & cognominabatur *Iustus*, unum cum Matthia statuerint Apostoli coram Domino, & forte explorarint voluntatem Domini, utrum eorum vellet eligi in Apostolum loco Iudæ proditoris. Ergo Apostoli eum dignum hoc officio censuerunt. Neque alius fuit *Iωάννης*, quam *Iωάννης*, sed unus idemque, sicuti haec litera φ & ε in nominibus propriis facile permutantur. Et constat ex Josepho, Egesippo, Eusebio, atque omnibus antiquis, Jacobum filium Cleophae, & fratrem eius Josephum, Justos fuisse cognominatos. Dubium itaque non est, unum cundemque esse Iosèn & Josephum. Et tamen sors non Iosèn, sed Matthiam notavit. Neque tamen hunc Iustum propter fidem in Christum & pietatem Deo minus gratum & acceptum fuisse statendum est. *Judas*, tertius frater Domini hic nominatur, cuius etiam Epistola extat in sacris, ubi se ipsum nominat fratrem Jacobi. Is etiam inter Apostolos allectus fuit, & partim *Lebbei*, partim *Taddei* nomine insignitur, de quo pluribus actum est superius in 50. cap. hujus Harm. Quartus est *Simon*, sive *Simeon*. Idem enim nomen est utrumque, illud per νεῖτον, figuram Gracis usitatissimam, enunciatur, quod patet ex nomine Petri, qui pa sim in Evangelio Simon Petrus dicitur. Ipse autem posteriorem suam Epistolam his verbis ordinatur: Σιμέων Πέτρος, Simeon Petrus, servus & Apostolus Iesu Christi. Fuit hic secundus Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, fratri Jacobo minori succedens, qui & in Evangelio *Zelotes* dicitur. Hic licet Christo annis undecim superior fuerit, vivit tamen, ut ex Ecclesiastica historia manifestum

est, usque ad annum Imperatoris Traiani decimam, qui fuit annus Christi 109. quo anno ipse 102. annos natus crucis supplicium pro Christo pertulit, arque sic hujus vita miseras cum aeternae felicitatis gaudiis permutavit. Atque hi fuere fratres Christi. Quod verò de sororibus additur: *Et sorores illius nomine omnes hic apud nos sunt?* Non potest intelligi defiliis Iesu Christo propriis, quam de filiabus Cleophae, quotquot sanè illarum fuerint. Et harum quidem nomina in Scriptura sacra non sunt expresa: annotata autem sunt in libro vita, qui liber, ubi aperietur, eas videbimus & cognoscemus.

Quid Christus ad hæc omnia? 1. Occurrit huic offendiculo conterraneorum suorum usitata gnome: *Non est Propheta expers honoris, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua.* Prophetam hic vocat Christus ministrii veritatis & doctorem iustitiae. Loquitur enim pro more sua gentis, in qua doctores syncerioris doctrinæ, religionis & professionis, Prophetæ dicebantur. Sic ut de Johanne Baptista, Matth. 14. v. 5. dicitur, quod populus eum pro Prophetā habuerit, *et ipsorum & honoris experiem vocat*, non eum, cui non magni honores externi exhibentur: sed qui non auditur, cuius doctrina non admittitur. Hic enim est maximus verbi ministri honor & gloria, quando auditores doctrinæ ipsius locum dant, vitam emendant, fidem concipiunt, & vera pietate Deum colunt. Hoc modo & Deus & minister ejus honoratur. Sic Paulus de suis Tessalonicensibus dicit: *vos etis gloria nostra & gaudium*, 1. Thes. 2. v. 20. Vice versa, ubi doctrina non admittitur, fides ei non habetur, mores non emendantur, Deus non colitur: ibi ministerium est *et ipsorum*, in honoratum & spernitur. De quo Christus pronuntiat, Luc. 10. v. 16. Qui vos spernit, me spernit. Qui me spernit, spernit eum qui misit me. Prophetam ergo Christus *et ipsorum* dicit, in patria inter cognatos, & in domo sua. Etenim commune omnium fere hominum vitium hoc est, quod à notis & familiaribus doceri nolint, multo minus admodum & corripi velint. Exterorum & peregrinorum admonitiones facilius admittunt, quam domesticorum. Putant enim hoc vergere ad ipsorum ignominiam, si ab indigenis reprehendantur. Ut ergo familiaritas contemptum parit: ita etiam præfentia minutit autoritatem. Voluit autem Christus hac communis sententia avertere, ne hoc scandalum Nazarethanorum ulterius serpet, illique suo exemplo eriam alienis inficerent. Neque enim sequitur: Christum contemnunt sui conterranei: Ergo non est Propheta, aut certè malus Propheta. Quid enim usitatus fuit apud Judæos, quorum terra fuit communis patria omnium Prophetarum, quam quod Prophetas suos occiderunt, alias lapidibus, alias serra, alias gladio, alias aliis instrumentis è medio tollendo. Iccirco ex odio & contemptu hominum non est judicandum de persona Prophetarum, vel Doctorum: sed ex ipsa doctrina & fidilitate in officio. Hinc consolationem hauriant fideles doctores Ecclesiæ, si quando officium quidem diligenter faciunt: & tamen ab omnibus contemnuntur, & cum Item, 15. v. 10. pro viris rixarum & discordiarum ab omnibus habentur. Est quidem magna beatitu-

do, ut Syr. 35. v. 12. prædicat, si quis enaret justitiam auris audiens. Si tamen cui Deus hoc in fortunum immittit, maximè in sua patria, ut nemo sit qui audiat, licet rectè doceat: committat illud Deo, & se soletur exemplo Christi, ac cogitet sordem discipuli non debere meliorem esse, quam fuerit Magistri. Interim tamen omnium locorum auditores, in primis verò eorum, quibus contigit Doctor inquinus, hinc discant à contemptu suorum verbi ministrorum abstinere. Etenim insignis perversitatis argumentum est, si quis gratiam Dei in illis vel contemnet vel odio prosecutus, in quibus eam ob gentis cognitionem & propinquitatem potius suscipere & magnificare debebat.

2. Additur effectum illius contemptus, quod est, quod utroque Evangelista teste, *Christus paucas admodum edidit virtutes.* Quid autem per duximus & virtutes Christi sit intelligendum, Marcus hoc loco scite indicat: nimurum ejusmodi miracula, quibus appositorum seu infirmis sanitas conferuntur. Sic Luc. 9. v. 45. Christus testatur duximus seu virtutem à se exiisse, qua sanata sit mulier duodecim annos profluvium sanguinis passa. Ergo quod Nazarethani inquirunt: *Unde huic virtutes tales?* Intelligendum est, vel de miraculis, quæ alibi edidit, & quorum fama ad ipsos perlata est: vel de his paucis quæ edidit, antequam suum prodidit contemptum. Et Marcus dicit, illum non potuisse virtutem ullam edere: quod non de absoluta, sed ordinata impotentiæ intelligendum est, sicuti Matthæus explicat: *propter cœsuras & incredulitatem ipsorum.* Ita enim Deus ordinavit, ut quotquot ipsius gratia & beneficiis ad salutem frui velint, fide illa suscipiant. Fides siquidem est verum opus, & instrumentum, adeoque, ut non ita pridem dictum est, unicum hastrum, quo omnia bona ex infinito divinae bonitatis fonte haurimus, & ad nos attrahimus. Nec obstat huic sententiæ, quod Paulus scribit Rom. 3. v. 3. Num incredulitas hominum fidem Dei irritat faciet? Absit. Loquitur enim Apostolus ibi de veritate Dei, & docet, quod omnia, quæ Deus in verbo suo promisit, constantissime serventur & verissimè eveniant, sive credant id homines, sive non credant. Interim tamen hoc simul verum est, quod virtus illorum operum DEI infrugifera redditur incredulis. *cœsura* enim ipsos homines inutiles & ineptos efficit, ad percipienda illa, quæ nisu & gesu, fides Dei operatur. Applicetur hoc ad doctrinam de sacra Domini Cœna. In ea in aeternum verum manet, quod Christus promisit, *Hoc est corpus meum*, & lîsit ibi Christus sacerdotum suum corpus in benedicto pane, quem frangimus, sive homines id credant, sive non. Postea vero, quoad fructum mandationis, ibi discriben fœs aperit. Credentes enim fruuntur corpore Christi ad remissionem peccatorum, confirmationem fidei suæ, ad vitam & salutem. Increduli autem, quia indigne edunt & bibunt, sumunt sibi ad judicium, eo quod non discernant corpus Domini, 1. Cor. 11. v. 29. Hæc nos moveant, ut incredulitatem, tanquam primogenitam Satanae filiam, fugiamus, nisi ipsi nos omnibus Dei beneficiis spoliare velimus. Interim tamen consolacione plenum est, quod multorum incredulitas non fraudi fuit

di fuit fidei paucorum infirmorum, qui quoniam obicem illum non posuerunt, non obstante aliorum infidelitatem, beneficii Christi participes sunt facti. Itaque quisque pro se operam det, ut ipse vera fide Christum amplectatur, seque ejus verbo cum obsequio subiciat, tum si vel totus mundus incredulitate laboraret, illud ipsum ei nequam fraudi erit.

Quod à Matthæo additur : *& mirabatur propter incredulitatem eorum*, de eo non scrupulose disputetur, quomodo admiratio cadat in Christum Deum omniscium : cum ea sit tantum rerum insolitarum, & ignotarum, nobisque præter omnem expectationem evenientium. Sed simpliciter ita accipiat, quod Christus, tanquam verus homo, de hac incredulitate locutus sit cum

suis Apostolis. Et quemadmodum superius cap. 5. dicitur admiratus esse fidem Centurionis, eam prædicando & celebrando coram universa plebe: sic hic admiratus est conterraneorum suorum incredulitatem, tristes querelas de ea fundendo, quod jam intra anni spatiū secunda vice eos visitando, & ad conversionem querendo, denuo ab illis repellatur. Quæ obstinata malitia, uti admirationem excitat in hominibus: ita coram Deo justam abjectionem meretur. Quis enim non miretur, miseram creaturam ineftabilis bonitati Creatoris sui ita pervicaciter se oppone? Et quis negabit Deum justo iudicio in posterum negligere eos, qui aliquoties benigne oblatam gratiam superbe respūnt & aspernatur.

*Finis Εὐαγγελοῦ τῶν ἀπόστολος Αἰτίων secundi anni ministerii Christi.*

**L**ubet' etiam sub finem hujus Capitis adjicere Recapitulationem præcipuum Actorum Christi in secundo anno ministerii ipsius, iuxta seriem superioris premonstratam, quo attenus & diligens Lector hujus quoque anni 1. Peregrinationes. 2. Conclaves. 3. Miracula. 4. Sectatores. 5. Adversarios & hostes Christi, cœu in tabula quadam, compendiose oculis suis propositos, uno intuitu complecti queat.

I. Peregrinationes Servatoris nostri Iesu Christi, quas hoc secundo anno ministerii sui instituit, & quæ ab Evangelistis sunt annotatae, præcipue sunt octo. Monstrabit hæc observatio, Christum sementem doctrinae suæ superiore anno sparsam, hoc anno fluentis gratiosæ suæ Visitationis rigasse, ut eo facilius ad bonam frugem ex crescatur. Primæ profectioni occasionem præbuerunt ingratissimæ Nazarethani. Quibus, cum primum in Synagoga ipsorum publicè ex Jef. 61. v. 1. denuntiaret annum placabilem à Domino, atque offerret coelestis sui Patris gratiam, illi vero leiebant, ipsum nec ex Sacerdotali tribu oriundum, nec in Scribarum vel Pharisæorum ordinem receptum esse, neque pro Prophetæ agnoscabant (quibus solis apud Judæos in scholis descendendi potestas concessa erat) ideo eum ex urbe ad præcipitum montis eductum, inde præcipitem dare voluerunt. Ipse vero per medium illorum transiens, discessit ab ipsis, suumque domicilium Capernaum transtulit, sicutque eam civitatem sibi propriam fecit. Ex hac civitate secundam peregrinationem suscepit in Galilæam, quam totam brevi temporis spatio peragravit, docens in Synagogis & miracula edens, quorum fama in Decapolin, Syriam & circumiacentes regiones, etiam Gentilium usque dimanavit. Capernaum reversus non diu ibi subsistit, sed mox post vocationem Matthæi Hierosolymam contendit ad festum Paschatis. Verum, quia Judæi acrem ibidem concertationem movent adversus ipsum, ob ægrum ad piscinam probaticam ab ipso in die Sabbathi sanatum, nec ibi diu hæret, sed mox finito festo Capernaum cum discipulis redit: & hæc fuit tertia profectio. Ad quartam suscipiendam eum impellunt Pharisæi cum Herodianis conspi-

rant, eo quod Sabbatum Judaicum discipiuli quidem illo die evellendo & confricando spicas, Christus vero alio Sabbatho sanando manum aridam, profanasse viderentur. Furoi itaque ipsorum Christi ad tempus cedit. Interim tamen, quia Dei benedictione turba auditorum crescit, duodecim Apostolos eligit, quos post absoluendum cursum sui ministerii totius orbis Doctores constituturus erat. Ex secessu Capernaum reveritus, vix tamdiu ibi moratur, ut famulum Centurionis, ex paralysi ad mortem decumbentem, sanaret: sed mox occidentem versus iter facit in Nain, filium viduæ ibi excitatur. Brevi post reddit quidem in Capernaum, ubi etiam à Simone Pharisæo invitatur: sed denuo discedens peragratus comitatu Apostolorum & mulierum qurandam totam Galilæam, secundum civitates & castella, sicutque sextam peregrinationem perficit. Septimo rursus Capernaumo discedit, eo quod non tantum Pharisæi suis calumniis & blasphemis eum expellerent, sed & mater cum fratribus, de ipso capiendo & privata custodia mancipando, confilia agitarent. Traicit ergo in regionem Gergesenorum, à quibus tamen mox repellitur, quia dæmonibus porcos in mare demergendi potestatem fecerat. Domum ergo reveritus, cum publicanis & peccatoribus convivatur apud Matthæum, & Jairo Archisynagogi, resuscitatione filiæ sibi conciliato, sine mora octavam & ultimam profectionem instituit versus patriam Nazarethum, denuo illis coelestis sua gracie rorem immittens, si qua ratione eos ad poenitentiam flectere, & coelesti suo Patri lucifacere posset. Sic coelestis hic justitia Sol, licet Capernaumi habitationis suæ domicilium constituerit, ex eo tamen loco, versus omnes mundi plagas sese inclinans, etiam hoc anno cursum suum ita confecit, ut vere quæsicerit, quod perierat, & tanquam verus amarum Medicus omnibus ægris opem suam obtulerit. Peregrinationibus longè diversissimis ab illis, quas immortalis ille mortalium hostis Diabolus instituit, qui etiam perambulat loca in aquosa, Luc. 11. vers. 24. circuit terram, Job. 1. vers. 7. non ut εὐεργέτης, sed ut leo rugiens, 1. Pet. 5. v. 8. quærens principio ut homines adducat ad malum

lum culpa, hoc est, ad peccatum solicitet, postea malo pœnæ opprimat, atque sic devoret.

II. Conaciones Christi hoc anno fuerunt præclaræ & frequentes. Quandiu enim Johannes publice docebat, ipse Christus se quasi cohibuit, ne rudit plebecula in partes scinderetur. Posteaquam autem Johannes carceri inclusus est, ipse publice prædicare incepit. Et primo quidem, quia honorem docendi sibi nemo sumere potest, nisi sit à Deo vocatus, Hebr. 5. v. 4. Ideò Nazarethi in patria reddit rationem suæ vocationis, & ex Prophetæ Iesaiæ demonstrat, se ad hoc munus & à Deo Patre suo vocatum, & à Spiritu sancto unicum esse. Mox in Galilæa brevem quandam synopsin doctrinæ suæ, quatuor capitibus comprehensam, proponit. Testatur. 1. Adesse tempus abrogationis umbrarum Veteris Testamenti. 2. Meliæ regnum, quo nos ex potestate Satanæ & aeternæ mortis sit erupturus, jam esse inchoandum. 3. Si quis beneficiorum hujus regni participes fieri velit, illum debere agnitione peccati & sensu ira divina quasi præparari, & eo impelli, ut peccatum fugiat, & omnem fiduciam in misericordiam Dei, meritò Christi partam, collocet. 4. Unde hoc consequetur, ut ingrediatur regnum colorum, in quo datur gratia Dei, remissio peccatorum, adoptio in filios Dei, salus & vita aeterna. Haec fuit summa concionum Christi, cui postea alii Articuli, singula membra plenius elucidantes, sunt additi. Nam mox Hierosolymis adversus Judæos tractat Articulum de sua persona, quamplurimis gravissimis argumentis, maximè vero ex opere creationis, suitationis & administrationis totius mundi demonstrans, se non esse ψιλον ἀρδπαππον, & nudum hominem, sed verum & aeternum Dei filium. Inde etiam agit de abrogatione sabbati Judaici, cuius ipse sit Dominus: ostendens quibus modis prophanetur, quibus vero non violetur sanctitas sabbati. Et quoniam hinc aliqui ex auditoribus Christi colligebant, Legem Mosis penitus tollendam & eliminandam esse, unde Pharisæi doctrinam Christi calumniabantur, quidam autem petulantiam carnis quarebant. Ideò Christus etiam insignem habet concionem de Lege, in qua ostendit discrimen legum ceremonialium, forensium & moralium, acdilecte docet, sublati ceremonialibus & forensibus partibus legis Mosaicæ, legem Moralem, sive doctrinam decalogi debere in Ecclesia perpetuo remanere, & omnibus ipsis membris, ex Judæis & gentibus collectis, sive illi sint renati, sive non renati, proponi. Et ut Apostolis ostenderet veram Methodum, quomodo doctrinam legis à traditionibus humanis purgatam tradere debeant, ipse verum ejus intellectum & usum, cum in exemplis quinti & sexti præcepti, tum in doctrina de elemosynis, de oratione, de jejunio, de avaritia, de sollicitudine & similibus capitibus doctrinæ Christianæ ostendit. His omnibus addit etiam utiles commonefactiones, in ministerio verbi observandas, de officio ministrorum, de correptione fraterna, de non dando sanctum canibus, de arcta via & angusta porta, de cavadis Pseudoprophetis, de vitanda hypocrisi, & plantando syncero ac solido studio pieratis. Doctrinam insuper de remissione peccatorum

etiam ab hominibus in ministerio aliis, & quidem in privata absolutione, impertienda, illustri miraculo confirmavit. Haec sunt præcipua membra doctrinæ à Christo hoc anno propositæ, quæ occasione oblata postea & exemplis illustravit, & elegantissimis parabolis condecoravit. Et quia animadvertis, fructum in discendo apud auditores suæ in docendo diligenter minus respondere, subjecit interdum, præter exhortationes, graves querelas, quibus horrendum Væ denuntiat civitatis & earum inhabitatoribus, qui gratiam Dei in doctrina Evangelii benignissime oblatam repudiant. Interim omnes peccati onere gravatos & oppressos humanissime ad se vocat, & quomodo venientes ad se refocillare velit, exemplo peccataricis conversæ ostendit. Præter hæc in concertatione cum Pharisæis, tractat locum de diversitate verorum seu divinorum miraculorum, & eorum, qua arte magica, ex collusione cum Diabolo, eduntur. Notatione quoque digna est illa doctrina, quam in disceptatione cum Scribis & discipulis Johannis attingit, qua docet, quomodo corda eorum, qui phanatica aliqua opinione sunt præoccupati, prius sint innovanda & repurganda, antequam veram Evangelii doctrinam capere possint. Ex qua brevi enumeratio paret, Christum Jesum universalem Ecclesiæ doctorem, hoc unico anno fere integrum σύγκληψια & corpus doctrinæ cœlestis tradidisse, ut promedium nihil occurrat docendum, quod non ipse suo quodam modo hoc anno aut tractarit aut latet attigerit.

III. Tertium caput recapitulationis est, quænam sine miracula hujus secundi anni. Sunt autem ea illustria atque prorsus stupenda. Initio anni vocationem quatuor Apostolorum, Petri & Andreae, Jacobi & Johannis, miraculosa captura pisculi illultravit. Sic se Dominum maris omnium aquatilium creaturarum esse demonstrans. Mox Capernaumi, quo & domicili. m & suggestum suum transtulerat, verbo & doctrina suæ authoritatem conciliaturus, adhuc in synagoga subsistens, immundum Spiritum verbo expellit, ex Synagoga domum revertens, atque apud Simonem Petrum divertens, socrum ejus febricitantem sanat, sub vesperam denique variis ægris sanitatem per nudam manuum impositionem restituit. Singularem autem admiracionem meretur, quod Hierosolymis hominem triginta octo annos continuè & graviter decubentem, quicquid ipsum ne noverat quidem, unico verbo affirmam valetudinem reduxit. Postea, præterquam quod in synagoga verbo sanat manum aridam, tactu mundat leprosum, absens servulum Centurionis liberat à paralysi, mortuam insuper juvenem ad vitam revocat, sic se vita & mortis dominium in manu sua habere ostendens. Multa, imo pene innumera miracula, in cœcis, mutis, surdis, leprosis, debilibus, mancis & aliis ægris edita, quasi silentio prætereuntur. Insigniora sunt illa quatuor, quorum unum in sanando dæmoniaco cœco & muto Capernaumi, alterum in sedanda tempestate maris & vi ventorum, tertium in expellenda legione dæmonum in terra Gergesenum, quartum in resuscitanda duodecim annorum filiola Jairi, operatus est. His enim

enim manifestum reddidit, se esse illum, cui pater tale nomen dederit, ut in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & inferorum, Phil. 2. v. 10. sequē esse eum Dominum, qui cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, fecerit & regat, Psal. 136. v. 6. & qui habeat claves mortis & inferni, Apoc. 1. v. 18. quibus aperiat & nemo claudat, & vicissim claudat atque nemo aperiat, Apoc. 3. v. 7. Hæc enim miracula omnia numero (ut dictum est) quamplurima, pondere profus itupeada, non alieno nomine, sicuti Prophetæ & Apostoli, sed propria virtute efficit atque operatus est.

IV. Si etiam novisse cupiamus, quos Sectatores Christus hoc secundo anno habuerit, deprehendemus Ecclesiam ipsius non mediocria incrementa sumfisse. Unde mox, posteaquam Capernaum commigravit, vocat quatuor discipulos, quos ex reliquorum numero familiarius sibi conversari voluit, ut omnium & factorum & dictorum *avōntarū* oculati & auriti testes essent, siue paulatim ad ministerium Ecclesie informarentur. Hisce paulò post adiungit Matthæum, cuius vocatio eo plus admirationis meretur, quia ipse prius nec Johannis nec Christi auditor fuerat, sed ad telonium desederat. Christi autem verbum cor ipsius ita mutat, ut deposito priori vita suæ statu, è vestigio Christo vocanti obtemperarit. Inde turba discipulorum & auditorum in tantum excrescit, ut non ausus fuerit aperte civitates & oppida ingredi, nec extra ea quæ causa commodè latitare potuerit. Hoc Christum permovit, ut Apostolorum numerum ad duodecim usque personas extenderet, secundum numerum duodecim Patriarcharum, & duodecim tribuum Israeliticarum, quorum ministerio & opera ipse postea, in Ecclesia catholica ex Judæis & gentibus colligenda, uteretur & sublevaretur. Et cogita quale hoc fuerit spectaculum, quocunque Jesus sive terra sive mari tendebat, ubique secum traxit magnam catervam viorum & mulierum, ipsum comitantium. Ut verè Rex Israelis videri potuerit, non quidem ob splendorem & pompam, sed ob numerositatem & copiam undique ad ipsum confluentum. Nam & discipuli Johannis, licet nondum plenè Christo manus dederant, tamen hoc secundo anno ipsi & quiores facti, præceptoris suo opera Christi in carcere narrarunt. Denique ex optimatibus

quoque aliquos ad se traxit, inter quos primas teneat Centurio Capernaunitinus, qui adeo splendidam de Jesu Christo fidei edidit confessionem, ut Christus palam contestatus sit, se in universo populo Israelitico talem fidem non invenire. Huic adiungi posset Archisynagogus sive Primas Judæorum, Jairus, nisi extrema demum necessitate filiolæ animam iam agentis compulsus Christum adiisset. Quanquam dubium quoque sit, an constans in fide permanferit. Preferri itaque ipsi merito debet Gergefenus, qui à Diaboli potestate liberatus, cum Christus illum se sequi nollet, præco gratiæ ejus factus est, in universa Decapoli.

V. Dum Christus in colligenda Ecclesia docendo & miracula edendo assidue laborat, interim nec diabolus in excitandis adversarii occatur. Primi sunt ipsius conterranei Nazarethani, qui Diabolo deteriores, eum de superculo montis præcipitare cupiunt, quem diabolus de pinnaculo templi non auffus fuit detrudere. Hisce succedunt Hierosolymitani Scribæ & Pharisæi, qui Capernaum, quo Christus sedem sua mansionis transtulerat, descenderunt, ut eum observarent, ecquid in ipso deprehendere possant, quod ad *awedēm* vel superiores deferrent. Postea cum Jesus in festo Paschatis virum trintigam annos decumbentem Hierosolymis sanasset, Judæi tantopere in ipsum exardecunt, ut occidere eum cupiant. Unde statim finito festo Hierosolyma discedit, & reddit in Galilæam, Capernaum, sed & inde protinus rursus expellitur: quia Pharisæi & Herodiani, qui alias capitalibus odiis inter se dissidebant, adversus ipsum conspirarunt. Licet verò dubium non sit, horum sanguinaria consilia represa aliquantum fuisse auctoritate Centurionis, qui se Christo aperta confessione adiunxit: nihil tamen tuti ibi Christus sibi polliceri ausus est, maxime eum etiam cognati de ipso comprehendendo, & privata custodia includendo, consilia agitarint. Quin & Gergefeni è numero hostium Christi non sunt excludendi, cum summum hunc suum benefactorem, qui vias & regionem ipsorum à violentia graflantis Legionis liberarat, protinus rursus ex ditione sua recedere jussérunt. Verum ipse in medio hostium & inimicorum suorum dominatus est, sicuti suo loco audiens.

*Sequuntur nunc Acta tertii anni ministerii Christi.*

## CAPUT LXXI.

CONTINENS HISTORIAM GENERALIS VISITATIONIS  
a CHRISTO IN GALILÆA INSTITUTÆ, MATTH. 9. v. 35. &  
MARC. 6. v. 6.

## RATIO ORDINIS.

**M**arcus abbreviator Matthæi simul & præmonstrator ordinis, superiori historiæ, qua Christus sub finem secundi anni ministerii sui denuo pa-

triæ suæ regnum Dei annuntiavit, ejusque gratiam ipsi obtulit, continua & indivulsa serie, imo in una periodo hæc verba connectit: *& circuibat castella in circuitu docens.* Quibus mox subiungit